



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

26. Otho III. Imp. Herluino Cameracensi Episcopo concedit mercatum,
itemq[ue] ius cudendae monetae in Castello Cameracesij, an. 1001

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT XXVI.

*Otho III. Imp. Herluino Cameracensi Episcopo concedit mercatum,
itemque ius cudendæ monetæ in Castello Cameracesij, an. 1001.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. OTTO, superna fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus.

Si locis diuino cultui mancipatis proprietates sublimare, atque honores augere studuerimus, id non solum laude humana prædicandum, verum etiam mercede diuina remunerandum scimus & verè credimus.

Vnde agnoscat multitudo omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, quòd nos HERLUINO venerabili Episcopo, ob interuentum Leonis Episcopi & ceterorum, dedimus ius, fas atque licentiam faciendi, statuendi atque construendi mercatum cum moneta, teloneo, banno & totius publicæ rei ministerijs, in quadam proprietate sanctæ Cameracensis ecclesiæ, in loco qui vocatur Castellum S. Mariæ, quod vocabatur antea *Vendelgeias*, quod situm est in pago Cameracensi ac Comitatu ARNVLPHI Comitit.

Atque prædictum mercatum, monetam, teloneum, bannum, cum tota publica functione, in proprium concedimus sanctæ Cameracensi ecclesiæ, tali tenore, vt nullus Dux, Marchio siue Comes, seu aliquis homo vllam potestatem habeat super memoratum mercatum, nisi cum licentia Herluini Episcopi suorumque successorum.....

1001. Data XI. Kal. Maij, anno Dominicæ Incarnationis millesimo primo, Indictione XIV.

NOTATIO.

De Castello S. Mariæ (quod nunc est opidum Episcopi Cameracensis, & Castellum Cameracesij, *Chasteau en Cambresy* vulgò nuncupatur) item de vico *Vendelgeias* vide tomum I. Codicis donationum piarum cap. 47. & Baldesici Chronicon Cameracense.

CAP.